



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Iosephina Lvcernensis**

**Reiß, Jacob  
Tschan, Jacob**

**Constantiae, 1658**

34. Minister Iesv in circumcissione.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9773**



## IOSEPH

Minister IESV in Circumcisione.

**I**Gnosce, Lector, si paternitatum genera omnia executus non sim. In tanta enim amplitudine Laudum, quæ IOSEPHO conueniunt, quæ fieri potest, ut tuo in eundem ardentissimo amori faciam satis? Igitur scito relinquere me *Patres electos, Patres conscriptos, Patres patratos, Patres ciuitatis, ac Patrie Patres*; quos tu quidem, ut voles, in IOSEPHVM transferre poteris. Verum me expectat noua dignitas eiusdem IOSEPHI, vel par prioribus, vel etiam maior. Ea dignitas est, ipsum esse Ministrum IESV in circumcisione.

Igitur scopus modo meus esse debet, ut omisis alijs omnibus, hoc vnum iam probemus, IESVM à IOSEPHO circumcissum esse. Ad hoc autem duo requiruntur. 1. quod potuerit circumcidere; deinde quod ipse, & non alius circumciderit. Atqui perlibenter probabo vtrumque, dummodo liceat supponere pauca quædam. Scilicet 1. circumcissum esse IESVM octauo, postquam natus est, die. 2. circumcissum esse in loco natiuitatis. Ut enim Suar. Disp. 15, S. 1. certum est, inquit, ab eo loco MARIAM Dei Matrem, vsque ad diem Purificationis nunquam discessisse. Idque Suar. ex Epiph. lib. 1. contra hæres. tom. 1, cap. vlt. post hæres. 20. se didicisse fatetur. 3. non apparere, quis alius



alius id loci præter IOSEPH circumciderit IESUM.

His autem suppositis; probo inprimis prius, & quidem in forma, quod potuerit circumcidere; hoc modo. Si IOSEPH non potuisset circumcidere, ideo non potuisset, quia vel Lex obstat, vel consuetudo. At neutrum obstat; potestque potius ostendi, & Patrem, & Matrem, & quemuis alium potuisse circumcidere. Potuit ergo circumcidere IOSEPH. Hic tu quidem obfirmes te, quantumcunque velis. Sed tamen palmam ut cedas, etiam spes est, cogi te posse; si quidem minor probetur. At eam sic probo 1. de Patre Genes. 17. v. 23. *Tulit Abraham Ismael filium suum, & omnes vernaculos domus suæ, vniuersosque, quos emerat, cunctos mares ex omnibus viris domus suæ, & circumcidit carnem præputij eorum statim in ipsa die.* Et cap. 21. v. 4. *Vocauitque Abraham nomen filij sui Isaac, & circumcidit eum octauo die, sicut præceperat ei Deus.* Actor. 7. v. 8. *Et sic genuit (Abraham) Isaac, & circumcidit eum die octauo, & Isaac Iacob, & Iacob duodecim Patriarchas.* 2. autem de Matre. Exod. 4. v. 25. *Tulit illico Sephora acutissimam petram, & circumcidit præputium filij sui.* 1. Machab. 1. v. 63. *Et mulieres, quæ circumcidebant filios suos, trucidabantur.* 2. Machab. 2. v. 20. *Duæ mulieres delatæ sunt, natos suos circumcidisse, quas infantibus ad vbera suspensis per muros præcipitauerunt.* 3. de alijs ex cit. Genes. 17. *Et Iosue 5. v. 7. Horum Filij in locum successerunt patrum, & circumcisi sunt à Iosue, quia sicut nati fuerant, in præputio erant, nec eos in via ali-*  
quis



quis circumciderat. 2. Machab. 2. v. 46. Et circumcivit  
Matthias, & amici &c. & circumciderunt pueros in-  
circumcisos. Actor. 16. v. 3. Hunc voluit Paulus secum  
proficisci, & assumens circumcidit eum propter Iudæos.  
Ergo IOSEPH quoque potuit circumcidere  
IESVM.

Posterius verò, quod nempe IOSEPH cir-  
cumciderit, pro me testatur Ephrem. in Orat. de  
Transf. Domini. *Si non erat Deus, pastores, quem ado-  
rabant? si non erat caro, IOSEPH quem circumcide-  
bat?* Et Bern. Serm. 1. de circumc. *Sed nec ipsius  
Ministri contemnendum est testimonium, ei, qui imitari  
querit Salvatoris exemplum, hic est IOSEPH.* Verè  
ergò ab eo circumcisos est puer, à quo vocatum est  
nomen eius IESVS. At sic vocatum est à IOSE-  
PHO. Ergo.

Hic tu mihi quidem fortè alios Patres, qui  
non circumciderunt, oppones. At ego tibi vicissim  
oppono meos; ac præterea obtendo hinc pauper-  
tatem Bethlehemitici stabuli; inde holocaustum  
Filij Dei à nullo magis, quàm à Patre offerendum.  
Fuit ergo IOSEPH etiam Minister circumcisio-  
nis IESV.

## ELOGIVM XXXV.

## IOSEPH

Angelus custos IESV.

**E**T si suus unicuique homini Viatori Angelus  
custos sit, etiam Apostolis, Ioanni Baptista,  
IOSEPHO, ac MARIE Matri Dei, excipi-  
unt ta